

*Clausulas pre-
servativas ad-
ditas.*

§.3. Decernentes presentes literas, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in premissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi, minusque causę propter quas eadem presentes emanarint, adductę, verificatę, seu aliis sufficienter, aut etiam nullatenus justificatę fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrę, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratię, vel justitię remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis, & faciendis comprehendere, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

*Ita iudicari
precipit, ac
contractis de-
rogat.*

§.4. Sicque, & non aliter in premissis omnibus, & singulis per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuntios, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus quibuscumque.

*Mandat hanc
Constit. publi-
cari in Urbe,
& publicatam
omnes ligare.*

§.5. Ut autem presentes, & in eis contenta quęcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, volumus pariter, & mandamus, quod eadem presentes per aliquem, seu aliquos ex Curforibus nostris ad Ecclesię Lateranensis, Basilicę Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellarię Apostolicę valvas, ac in acie Campi Florę affigantur, & publicentur, ac cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quę sic publicatę, & affixę omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arceant, ac si unicuique illorum personaliter intimatę, & notificatę fuissent.

§.6. Quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quę presentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitę vel ostensę.

*Ac ejus tran-
sumptis fidem
dant.*

Dat. Romę apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 20. Junii 1637. Pont. Nostri Anno XIV.

*Dat. die 20.
Junii 1637.
An.XIV.*

*Anno a natiuitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo septimo, die vero 20 mensis Junii, Supradicta Constitutiones affixę, & publicatę fuerunt ad valvas Basilicę Lateranensis, Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellarię Apostolicę, & in acie Campi Florę, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut vis est per me Anton. Bardum Apost. Curf.
Julius Marzellini Mag. Curf.*

DXXXVIII.

Fratres Discalceati Sanctissimę Trinitatis Redemptionis Captivorum Barchinonen., absolventur a censuris, in quas incurrerant ob petitam Regii Consilii opem.

*Ex Regest. in
Secret. Brevi*

Dilecto filio Magistro Joanni Jacobo Panzuro Cappellano Nostro, & Causarum Sacri Palatii Apostolici Auditori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilectę fili salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Alias Nos per nostras in simili forma Brevis Literas sub die 29. Decembris 1630. expeditas dilectis filiis Fratribus Discalceatis Santissime Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniarum unum Conventum in Civitate Barchinonen. etiam si consensus aliorum Conventuum ejusdem Civitatis ad hoc minime accederet, & aliis sub certis modo, & forma tunc expressis erigendi facultatem concessimus, prout in dictis Literis, quarum tenores presentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

*Pontifex his
Fratribus fa-
cultatem con-
cesserat Con-
ventum Bar-
chinonen. eri-
gendi, quan-
vis aliorum
Conventuum
non accederet
consensus.*

§.2. Cum autem subinde prefatis Literis per dilectum filium Honuphrium a Sancto Thoma Ministrum Conventus Cesaraugustan. dicti Ordinis coram Vicario Capitulari Ecclesię Barchinonen. illius Sede Episcopali tunc vacante legitime deputato presentatis, & ab eodem Vicario ex voto Capituli Barchinonen. precedente etiam Communitatis, & hominum dictę Civitatis consensu mediante publico Consilio obtenta licentia, Conventus hujusmodi cum Ecclesię constructus fuerit; post illius autem erectionem, rector, & operarii Ecclesię Parochialis Beatę Marię de Pinnu

*Suborę ta-
men lre Fra-
tres assisten-
tiam Consilii
petierunt.*

*Litęque ad
Rom. Rotam
deducta pars
adversa oppo-
sui Fratribus
quod in cen-
suras incurrer-
int ob prefa-
tam petitam
assistentię.*

Pinnu nuncupate, intra cujus Parochię limites Conventus hujusmodi constructus fuit, a Vicario Generali, dicta Sede Episcopali vacante, obtinuisse de facto ab Ecclesię dicti Conventus Sanctissimum Sacramentum amoveri, & ad dictam Parochialem Ecclesię asportari, & altare demoliri, dictusque Honuphrius ad nostrum, & Sedis Apostolicę in Regnis Hispaniarum commorantem Nuncium habito recursum, probataque dictorum Fratrum pacificę possessione, mandatum de manutenendo desuper obtinuisse: licetque dictus Honuphrius potuisset de facto possessionem hujusmodi continuare, & in ea in vim dicti mandati se se defendere, nihilominus ad majorem cautelam, ac pro removendis rumoribus, & scandalis exinde forsan orituris a Regio consilio assistentię sibi concedi petiit; cumque ad illam impediendam prefati Rector, & Operarii, alique Procuratores aliorum Conventuum, ac etiam dictę Civitatis Syndicus se se opposuissent, propterea ad plures actus coram Judice a dicto Regio Consilio deputato devotum fuisset, tandem dicto Honuphrio petita assistentię concessa fuit.

§.3. Cum autem a prefato Decreto mantentionis ab eodem nostro, dictę Sedis Nuncio, ut pręfertur, emanato fuerit pro parte eorundem Rectoris, & Operariorum appellatum causaque appellationis hujusmodi ad Rotam devoluta, tibi que commissę, dicti Adversarii pro impedienda causę hujusmodi expeditione, opposuerint dilectum filium Joannem de Annunciatione Fratrum prefatorum Procuratorem Generalem, & pro eis competentem nomine dictę Religionis minime audiendum esse, ex quo dictus Honuphrius petendo dictam assistentię in excommunicationis penas per Sacros Canones recurrentibus ad iudices laicos inflictas inciderit, & licet existimetur, per petitam assistentię hujusmodi dici non posse petitum recursum ad iudicem laicum, cum illa sit quasi imploratio brachii secularis a Sacris Canonibus permissa, propterea excommunicationis penas nullatenus incursum fuisse, nihilominus ad omnem dubitandi materiam e medio removendam, ac pro majori conscientię quiete Nobis humiliter supplicari fecit dictus Joannes Procurator Generalis, ut in premissis oportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

*Pontifex eos
absolvi ab A.
C. committit.*

§.4. Nos igitur dictum Joannem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interditi, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatus exiit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi applicationibus inclinatis, Tibi per presentes committimus, & mandamus quatenus consilio tibi legitime de Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

premissis, prefatum Honuphrium, & alios quoscumque, si qui forsan ob petitam assistentię, & alios actus in dicto Regio Consilio factos in excommunicationem incurserint, renunciato prius per eos attentatis coram quibuscumque iudicibus laicis factis, ac injuncta eis, & eorum cuilibet arbitrio tuo poenitentia salutari, ad cautelam licet absentes a quibusvis censuris, & penis ecclesiasticis per eos, & eorum quemlibet quomodolibet incurris, auctoritate nostra apostolica absolvas, & totaliter liberes, dictasque penas eis gratiose remittas, & condones, ac omnia, & singula gratias, favores, & privilegia dictis Fratribus in favorem erectionis prefati Conventus Barchinonen. concessa, ipsaque erectionem jam factam, & possessionem, ut pręfertur, captam confirmes, & approbes, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus quantumvis substantialis, si qui desuper quomodolibet intervenerunt, suppleas.

*Contractis
derogat.*

§.5. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ordinibus, & Congregationibus hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

*Dat. die 28
Junii 1637
An.XIV.*

Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Junii 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DXXXIX.

Quod de cetero non liceat pro licentiis laborandi diebus festis ab Episcopo Carthaginen. concedendis pro preparatione, & mantentione artis fericę a mense Martio usque ad ejus integram confectionem, quidquam exigere.

*Ex Regest. in
Secret. Brevi*

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut dilecti filii Communitas, & Homines Oppidi Murcię Carthaginen. Diocesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsis, qui, ut asserunt, quotannis a mense Martii per totum mensem Junii, atque etiam sub principium Julii sese in preparatione, confectioneque setę exercent, necesse sit, preparationem, & confectionem hujusmodi etiam in diebus festis interim occurrentibus exercere; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt,

*Communitas
Murcię
preces.*

Decretum, de quo in Rubr.

runt, ut sibi super licentiis propterea concedendis opportune providere de benignitate apostolica dignemur.

§.2. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sancte Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Episcoporum praepositorum consilio tenore presentium, nullatenus licere pro licentiis diebus festivis ab Episcopo concedendis pro preparatione, & mantentione artis sericae a mense Martii usque ad totalem illius confectionem de mense Julii, nihil proflus, vel minimum exigi debere, immo licentias hujusmodi gratis omnino concedendas, atque ita de cetero inviolabiliter tenendum, observandumque fore, & esse apostolica auctoritate decernimus, & declaramus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Dat. die 30. Jun. 1637. An. XIV.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Junii 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DXL.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Restitutio, seu Erectio Cathedrae praxis Medicinae in Romano Gymnasio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Necessitatem utilitatemque huius Cathedrae refert.

§.1. Cum, sicut accepimus, publicum Almae Urbis nostrae Gymnasium praxis artis Medicinae Cathedra dudum in eo constituta multis annis Superiorum incuria caruerit; Nos considerantes, Altissimum de terra procreasse ad solamen generis humani medicamenta; artem vero curandi homines media ex Philosophia principis, & fontes suos petere, qui deinde particularibus medicinae praecipis illustrantur, & confirmantur; opere pretium Nos facturos existimavimus, si praxis artis Medicinae Cathedra hujusmodi sollicitudinis nostrae ministerio in eodem Gymnasio restituatur, & quatenus opus sit, de novo erigatur, eique sic restituta, aut de novo erecta de tali persona provideatur, cujus insignis doctrina, atque eruditio, necnon spectata longa annorum serie experientia nedom in hac Alma Urbe nostra, sed multis aliis in Civitatibus, & Locis, conspicuam, celebremque reddiderunt;

Eamque restituamque pri-

§.2. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris,

deque apostolica potestatis plenitudine unam in praedicto Almae Urbis nostrae Gymnasio praxis artis Medicinae Cathedram pro uno ipsius artis Medicinae Lectore, & Professore cum omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, & indultis, etiam speciali nota, & expressione dignis, quibus aliarum scientiarum, sive disciplinarum in dicto Gymnasio Cathedrali, Lectores, & Professores de jure, usu, statuto, consuetudine, aut ex concessione apostolica, vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, necnon provisione annua quadringentorum, & quinquaginta scutorum monete e pecuniis, quae Lectoribus dicti Gymnasii assignatae sunt, & Gabella Studii dictae Urbis exiguntur, nec ad praesens alteri applicatae existunt desumenda, & persolvenda tenore presentium restituimus, & quatenus opus sit, de novo erigimus, & instituiimus.

Et Thaddeum Colliculam praeficit.

§.3. Praeterea dilecti filii Thadei Colliculae Canonici Basilicae Principis Apostolorum de Urbe Medici Secreti, ac familiaris continui commensalis nostri praecleari in arte praedicta eruditionis, experientia, & doctrina, necnon obsequiorum, quae Nobis summa cum diligentia, & probata fide nullis parcendo laboribus multos annos praestitit, & adhuc etiam ingravescente, & valetudinaria aetate sua hujusmodi assidue Nobis praestat, condignam rationem habentes, eundem Thaddeum in Lectorem primum praxis artis Medicinae hujusmodi in eodem Gymnasio cum honoribus, privilegiis, gratiis, & indultis, necnon provisione annua quadringentorum, & quinquaginta scutorum monete hujusmodi, quoad vixerit, apostolica auctoritate, eorumdem tenore presentium facimus, constituimus, & deputamus, illeque artem medicinae praedictam in dicto Gymnasio unquam nisi ejus arbitrio, & ad suam voluntatis liberum beneplacitum legere teneatur, nec a quoquam quavis auctoritate fungente ad legendum adstringi possit, auctoritate, & tenore praefatis concedimus, & indulgemus. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis, aliisque arbitrii nostri poenis, ut eundem Thaddeum ad Cathedram praxis artis medicinae hujusmodi juxta tenorem presentium recipiant, & admittant, eique de provisione annua quadringentorum, & quinquaginta scutorum hujusmodi suis congruis temporibus respondeant, & responderi curent, & faciant realiter, & cum effectu.

Obstantibus derogat.

§.4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac Gymnasii, & Urbis praefatorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 15. Julii 1737. Anno XIV.

Dat. die 15. Julii 1637. An. XIV.

Facul-

DXLI.

DXLII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Nuncio Sedis Apostolicae Neapolitanae concordandi cum eadem Civitate, & Populo nomine Cleri super modo exigendi ab eodem Clero augmentum curjurdam vestigialis.

Dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicae in Regno Neapolis Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Communicat Neapolitana facultatem, petri augendi quoddam vestigial ab Ecclesiasticis, quae solvendi ita ut rata postmodum eis restituatur.

1. §. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Communitas, & homines Civitatis Neapolitanae, quod ipsi, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico, qui etiam Rex Neapolis existit, in variis ejus urgentissimis necessitatibus infervirent, gabellam trium carolenorum pro quolibet tumulo hujusmodi in eadem Civitate Neapolitan. ejusque suburbii, districtu, & casalibus accedente nostra, & Sedis Apostolicae licentia etiam a dilectis filiis Clero, & personis ecclesiasticis Civitatis, suburbiorum, ac districtus, & casalium praefatorum ad evitandas fraudes exigere, eidemque Clero, & personis ecclesiasticis certam ratam restituere intendunt. Unde cum eisdem Communitatem, & Homines ad aliquam super hoc transactionem cum Clero, & personis ecclesiasticis praefatis devenire necesse sit, Nobis propterea Communitas, & homines praefati humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignemur.

Pont. facultatem Nuncio concedit cum eadem Communitate transigendi.

§.2. Nos igitur Cleri, & personarum ecclesiasticarum hujusmodi indemnitati pro nostro pastoralis officii debito, quantum cum Domino postumus; consulere volentes, ac de tuis singulari fide, prudentia, integritate, & religionis zelo plurimum in Domino confisi Tibi, ut super augmento tredecim granorum pro tumulo hujusmodi, ut praefatur, facto, illiusque exactione in vim licentiae per te illis concedenda faciendae cum eisdem Communitate, & hominibus ratione ratae dictum Clerum, & personas ecclesiasticas tangentis nomine Cleri, & personarum ecclesiasticarum hujusmodi transigere, & concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias, & opportunas confici facere libere, & licite possis, & valeas, apostolica auctoritate, tenore presentium, facultatem concedimus, & impertimur.

Et obstantia tollit.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 7. Augusti 1637. An. XV.

Dat. Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 7. Aug. 1637. Anno XV. Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

Praedictas pecunias Clero Neapolitano restituendas addicit Fabricae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Hodie pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & Hominum Civitatis Neapolitan. Nobis exposito, quod ipsi, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico, qui etiam Rex Neapolis existit, in variis ejus urgentissimis necessitatibus infervirent, gabellam trium carolenorum pro quolibet tumulo farinae frumenti, & germani, & tredecim grana in diversis vicibus, & temporibus auxerant, & augmentum tredecim granorum pro tumulo hujusmodi in eadem Civitate Neapolitan. ejusque suburbii, districtu, & casalibus, accedente nostra, & apostolicae Sedis licentia, etiam a dilectis filiis Clero, & personis ecclesiasticis Civitatis suburbiorum, ac districtus, & casalium praefatorum ad evitandas fraudes exigere, eidemque Clero, & personis ecclesiasticis ratam eis debitam restituere intendebant; & propterea eisdem Communitatem, & homines ad aliquam super hoc transactionem cum Clero, & personis ecclesiasticis devenire necesse erat; dilecto filio nostro, & Apostolicae Sedis in Regno Neapolis commoranti Nuncio per nostras in simili forma Brevis expeditas Literas commisimus, ut super augmento 13. granorum pro quolibet tumulo hujusmodi, ut praefatur, facto, illiusque exactione, in vim licentiae a dicto Nuncio illis concedenda faciendae, cum eisdem communitate, & hominibus ratione ratae dictum Clerum, & personas ecclesiasticas tangentis nomine Cleri, & personarum ecclesiasticarum hujusmodi transigere, & concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias, & opportunas confici facere, libere, & licite possint, & valeant, apostolica auctoritate facultatem concessimus, & impertiti sumus, & alias prout in praedictis aliis nostris in eadem forma Brevis expeditis Literis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Refert, quae praescriptis in praec. Constit.

Nunc summi Clero restituenda applicat Fabricae Basilicae Vaz.

§.2. Nos Fabricae Principis Apostolorum de Urbe jam diu captae extractionem, quae multis subsidiis ob ingentes sumptus indiget, aliquando consumari cupientes, Praedecessorum nostrorum, qui ratas gabellarum, quae ab eisdem Clero, & personis exiguntur, & iisdem redduntur, variis Apostolicae Sedis sublevandis necessitatibus attribuerunt, vestigiis inhaerentes, motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, omnes, & quascumque pecuniarum summas, quae ex

rata augmenti gabellæ trium carolenorum pro tumulo farinæ, frumenti, & germani ad tredecim grana ab ecclesiasticis personis secularibus, & cuiusvis Ordinis quantumvis exempti regularibus in vim Literarum nostrarum huiusmodi exigentur, & eis reddentur, seu exigi, & reddi debent, quarum quantitatem, quantacumque sit, presentibus etiam pro sufficienter expressa haberi volumus, præfate Fabricæ tenore presentium applicamus, ac pecuniarum summas huiusmodi ad usum dictæ Fabricæ exigi, & in eum converti volumus.

Eique committit eisdem pecunias tradere personis ad id deputatis.

§.3. Quocirca eidem Nuncio tantum per presentes committimus, & mandamus, ut prædictas pecuniarum summas ex rata augmenti gabellæ trium carolenorum pro tumulo farinæ, frumenti, & germani ad tredecim grana exigit, & summas huiusmodi personis a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus eidem Fabricæ Præfectis declarandis pro dictæ Fabricæ sumptibus consignet. Nos enim illi præmissa faciendi, & quasvis personas ad easdem summas illi perfolvendis omnibus juris, & facti remediis, ac censuris, & poenis ecclesiasticis, si opus fuerit, cogendi, & compellendi, auxilium brachii secularis, quatenus opus foret, invocandi plenam, & liberam facultatem earumdem tenore presentium concedimus, & impertimur.

Derogat contrariis.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac regula nostra de iure quæsito non tollendo, necnon omnibus illis, quæ in Literis præfatis volumus non obstat, cæterisque contrariis quibuscumque,

Dat. die 7. Augusti. 1637. An. XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septima Augusti 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

DXLIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Sequitur Concessio facultatum Nuncio Apostolico ea peragendi, quæ in præcedentibus Constitutionibus statuta leguntur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Referat datam a se facultatē Nuncio Apostolico transgrediendi cum Pulo super reformatione Clero faciendâ augmenti vespigialis.

§.1. Hodie pro parte dilectorum filiorum Civitatis Neapolitan. Nobis exposito, quod ipsi, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico qui etiam Rex Neapolis existit, in variis ejus urgentissimis necessitatibus inservirent, gabellam trium carolenorum pro quolibet tumulo farinæ frumenti, & germani ad tredecim grana in diversis vicibus, & temporibus auxerant, & augmentum tredecim granorum pro tumulo huiusmodi in eadem Civitate Neapolitan., eisque suburbiis, ac districtu, & casali-

bus, accedente nostra, & Apostolica Sedis licentia, etiam a dilectis filiis Clero, & personis ecclesiasticis Civitatis, suburbiorum, & districtus, ac casalium prædictorum ad evitandas fraudes exigere, ac eisdem Clero, & personis ecclesiasticis ratam eis debitam restituere intendebant, & propterea eisdem Communitatem, & homines ad aliquam super hoc transactionem cum Clero, & personis ecclesiasticis præfatis devenire necesse erat, dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicæ in Regno Neapolis commoranti Nuncio per nostras in simili forma Brevis expeditas Literas commisimus, ut super augmento tredecim granorum pro quolibet tumulo huiusmodi, ut præfertur, facti, illiusque exactione in vim licentiæ a dicto Nuncio illis concedendæ faciendæ cum eisdem Communitate, & hominibus ratione ratæ per eos dictis Clero, & personis ecclesiasticis ad evitandas fraudes, ut præfertur, restituendæ nomine Cleri, & personarum ecclesiasticarum huiusmodi transigere, & concordare, ac quascumque scripturas desuper necessarias, & opportunas confici facere libere, & licite possit, & valeat, apostolica auctoritate facultatem concessimus, & impertiti sumus.

Summamque Clero restituendam Fabricæ Basil. Vaticane applicasse.

§.2. Et per alias nostras in eadem forma Brevis Literas, motu proprio, & exacta scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine omnes, & quascumque pecuniarum summas, quæ ex rata augmenti gabellæ trium carolenorum ad tredecim grana huiusmodi ab ecclesiasticis personis secularibus, & cuiusvis Ordinis quantumvis exempti regularibus in vim Literarum nostrarum huiusmodi, exigentur, & eis redderentur, seu exigi, & reddi deberent, quarum quantitatem, quantacumque esset, pro sufficienter expressa haberi volumus, Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe applicavimus, ac pecuniarum summas huiusmodi ad usum dictæ Fabricæ exigi, & in eum converti volumus, & alias, prout in dictis Literis, quarum tenores presentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Nunc eidem Nuncio dat facultatem Communitatem a censuris absolvendi, quatenus ante obtentam licentiam, dicti vespigialis exegerit ab Ecclesiasticis.

§.3. Quocirca applicationem summam pecuniarum huiusmodi ex rata augmenti gabellæ per Nos, ut supra, factam approbantes, & confirmantes eidem nostro, & Sedis Apostolicæ in Regno Neapolis Nuncio per presentes committimus, & mandamus, ut eisdem Communitati, & hominibus gabellam huiusmodi, ut præfertur, augendi, sive auctam approbandi, illamque a quibusvis personis ecclesiasticis etiam regularibus quantumvis exemptis exigendi, & habendi licentiam concedat: propterea si, & postquam Communitas, & homines prædicti ratam ex augmento gabellæ huiusmodi per eos ab ecclesiasticis absque nostra, & huius Sanctæ Sedis licentia exactam eidem Fabricæ, ejus ministris, & deputatis totaliter, & cum effectu perfolverint, & consignave-

tint,

Pecuniasque Fabricæ Vaticane tradendi.

runt, eisdem Communitatem, & homines a quibusvis excommunicationis, aliisque censuris, & poenis ecclesiasticis, per eos præmissorum occasione quomodolibet incurris, imposita eis, & eorum cuilibet arbitrio suo poenitentia salutari, auctoritate nostra absolvat.

Opportunitate ad id facultates elargitur.

§.4. Insuper eidem Nuncio nostro per presentes similiter committimus, & mandamus, ut præfatas pecuniarum summas per Nos eidem Fabricæ, ut præfertur, applicatas ex rata augmenti gabellæ huiusmodi integre exigit, & summas huiusmodi personis a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus eidem Fabricæ Præfectis declarandis pro dictæ Fabricæ sumptibus consignet.

Contrariis derogat.

§.5. Nos enim præmissa faciendi, & quasvis personas ad easdem summas eisdem perfolvendis omnibus juris, & facti remediis, ac censuris, & poenis ecclesiasticis, si opus fuerit, cogendi, & compellendi, auxiliumque brachii secularis, si etiam opus fuerit, invocandi plenam, & liberam facultatem, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & impertimur.

Dat. die 7. Augusti. 1637. An. XV.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac regula nostra de iure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die septima Augusti 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

DXLIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Committit A. C. ut Episcopum Calaguritanum absolvat a censuris, si quas incurrit ob recursum per Promotorem, Fiscalem suæ Curie factum ad Iudices Laicos.

Dilecto filio Joanni Panzirolo Cassarum Sacri Palatii Apostolici Auditori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilectæ filii salutem, & apostolicam benedictionem.

Episc. Calaguritan. petit provideri ne recursum per Promotorem Fiscalem suæ Curie ad Tribunal laicum factum in quadam causa sibi noceat, quatenus in Sac. Rota alius in causis audiat.

§.1. Nuper pro parte Ven. Fratris Gundisalvi Episcopi Calaguritan. Nobis expositum fuit, quod a multis annis, & causa in Sacro Rotæ Romanæ Auditorio pendet indecisa de, & super jurisdictione Ecclesiarum Sanctæ Crucis, & Sancti Michaelis Oppidi Civitatis nuncupati de Nagera contra Abbatem, & Monasterium, Sanctæ Mariæ Ordinis Sancti Benedicti ejusdem Oppidi, in eaque sæpe sæpius resolutum fuit, approbationem confessorum in Ecclesiis huiusmodi ad dictum Episcopum spectare. Cum autem de novo disputandum esset dictum dubium coram te,

præfatusque Abbas opposuisset, quod tempore Petri Castelli Episcopi Calaguritan. dicti Exponentis prædecessoris, mediante quodam suo Procuratore Fiscali recursum fuisset ad Iudices laicos ad effectum impediendi, ne quidam Thomas a Guevara Presbyter dictæ Diocesis e carceribus emanciparetur in vim cuiusdam mandari a Metropolita Burgen. relaxati, quodque recursum huiusmodi dicto exponenti noceret, licet ipse eo nunquam usus fuerit, nec uti intendat, illique expresse in actis renunciaverit, minusque probetur, dictum Petrum Episcopum ejus Prædecessorem recursum præfatum usum fuisse, ab eoque datum fuisse, mandatum aliquod speciale ad recursum, cum id, ut præsupponitur, nomine Promotoris Fiscalis emanaverit; nihilominus pro potiori cautela, & ad effectum nedom in præfata, sed in aliis, quas in eodem Sacro Rotæ Tribunali sustinet, causis ad ulteriora procedendi, dictus Exponens Nobis humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune, ut infra providere de benignitate apostolica digneremur;

§.2. Nos igitur illum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latitis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Tibi per presentes committimus, & mandamus, quatenus confito tibi legitime de præmissis, ac per eundem Exponentem renunciato prius per eum attentatis coram quibusvis Iudicibus laicis per quoscumque præmissorum occasione factis, dictum Exponentem nedom a præfato prætenso, sed a quibusvis aliis per dictos ejus Prædecessores Episcopos forsan habitis ad Iudices laicos recursum, ac quibusvis censuris, & poenis ecclesiasticis, si quas eorumdem præmissorum occasione quomodolibet incurrit, auctoritate nostra apostolica absolvas, & totaliter liberes, dictasque poenas ei gratiose remittas, & condones.

PP. committit A. C. ut eum absolvat a censuris, si quas incurrit.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die undecima Augusti 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Derogat obstantibus. Dat. die 11. Augusti. 1637. An. XV.

Com-

Ex Regest. in Secret. Breu.

Committitur Archiepiscopo Mediolanen- si, ut Deputatis Collegii Helvetici Mediolanen., easdem exemptiones, & privilegia concedat, quibus gaudent Deputati Seminarii, & Conservatorum Collegii Ambrosiani ejusdem Civitatis.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Mediolanen.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Deputatorum petitio.

§.1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & Deputatorum Collegii Helvetici Mediolanensis Nobis expositum fuit, quod praefatum Collegium iisdemmet, quibus ipsum Seminarium Helveticum regulis regitur, illiusque regimini praesunt Praepositi Oblatorum pro tempore, necnon quinque Canonici Ecclesiae Mediolanen., a pro tempore existente Archiepiscopo Mediolanen. eligi soliti, coram quo, & ipsius in spiritualibus Vicario Generali Congregationes ad prosperum dicti Collegii gubernium pertinentes fieri solent, ipsique Praeposito, & Canonicis, quorum introitus in Mediolanen., Papien., Terdonen., & Alexandrin. Diocesibus consistunt, ut plurimum ab eodem Archiepiscopo pro rei exigentia mandatur, ut dicti Collegii bona visitare debeant; Nobis propterea dicti deputati humiliter supplicari fecerunt, ut sibi circa residentiam in eadem Ecclesia faciendam, ad quam de jure tenentur, providere de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio Archiep. Mediolanen. de qua in Rubr.

§.2. Nos igitur illos specialibus favoribus prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, circumspeditioni tuae per praesentes injungimus, ut veris existentibus narratis, eisdem exponentibus, dum pro servitio dicti Collegii a Choro dictae Ecclesiae de licentia tua aberunt, quod ipsi omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, gratis, & indultis, quibus ipsi deputati Seminarii praefati, & Conservatorum Collegii Ambrosiani Civitatis Mediolanen. fruuntur, & gaudent, frui, & gaudere, libere, & licite possint, & valeant, licentiam auctoritate nostra apostolica arbitrio tuo concedas, & indulgeas.

Derogatio cationum

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiae, & Collegii praefatorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel

quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, quod praefatorum Deputatorum Canonicatus, & Praebendae debitae propterea non fraudentur obsequiis, sed illorum congrue supportentur onera consueta.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Provisio, ne Canonicatus debitis fraudentur officiis

Dat. die 30. Augusti. 1637. An. XV.

DXLVI.

Confirm. Synodi Provincialis anno 1574. per Cyprianum Pallavicinum Archiepiscopum Januen. super rebus Ecclesiae non alienandis, nec pignorandis habitae, & a Congregatione Sacri Concilii Tridentini approbata.

Ex Regest. in Secret. Breu.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Fliscus Abbas Sanctae Mariae in Via-Lata Januen., & Decanus secularis, & Collegiatae Ecclesiae Sancti Hadriani loci Trigaudi Januen. Diocesis, quod alias de anno 1574. a bona memoriae Cypriano Pallavicino Ecclesiae Januen. tunc Praefule in Synodo per eum de, & super rebus Ecclesiae tuendis, iisdemque non alienandis, nec pignorandis celebrata, & subinde a Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus Sacri Concilii Tridentini interpretibus approbata nonnullae declarationes, seu decreta edita fuerint tenoris subsequenter videlicet.

Abbas S. Mariae in Via-Lata Januen. fecit Consi. in Synodo lazar.

De rebus Ecclesiae tuendis, deque iisdem non alienandis, nec pignorandis.

Quoniam praesens Provinciale Concilium temporis excluditur angustiis, quominus possit ad normam Concilii Tridentini cap. 11. sess. 25. ex omnibus locationibus ad annos triginta, in longum tempus, seu (ut sit nonnullis in locis) in vigintinovem, vel bis vigintinovem annos factis, declarare, quae nam earum in Ecclesiae damnum, contrave canonicas sanctiones sint facta; propterea praemittendum non existimavit, quin ad eisdem decreti praescriptum, & ex facultate sibi ex eodem decreto concessa, hujusmodi munus aliis subdelegaret. Itaque, quod attinet ad bona, quae sunt in unoquoque Episcopatu, Vicariis Generalibus in sua cuique Diocesi praesentis Provinciae, & primam in eadem Cathedrali Ecclesia dignitatem obtinenti cuique, necnon Collegiatae secularis Ecclesiae antiquissimo in Urbe ipsa commoranti Praeposito, omni meliori modo, subdelegat, & committit; adeo ut duo ex ipsis omnia possint exequi, & con-

Tenor hujusmodi Concilii cationum.

& conficere, tertio non adhibito; ita tamen si neutrius illorum id interfit, nec enim debet Episcopi Vicarius de locationibus ab Episcopali mensa factis, nec de Capituli locatione dignitas capitularis, nec antiquissimus Praepositus de factis, vel a se, vel ab antecessore suo locationibus cognoscere. Quod si qua forte esset justa suspitionis causa (ut puta, si quem illorum, quos diximus, in ejusmodi alienatione, locationeve Praefectum, aut Judicem fuisse contigisset) tunc ad acta per eos rescindenda, & irrita reddenda, detur actio per eisdem de consilio Jurisconsulti partibus non suspecti; idque sumptibus suspitionem proponentis. Mandat autem praesens Provinciale Concilium Episcopis omnibus, ut hujusmodi locationes pervestigandas curent, praedictisque iudicibus tradant cognoscendas; aut, agente fisci procuratore, ad illarum (si ita jus erit) cognitionem, & disceptationem ipsimet deveniant; idque illorum, qui ejusmodi locationes fecerint, sive heredum sumptibus; quibus tamen librorum sit litis, si velint, interesse, sumptusque suppeditare. Si qui fuerint in tali re negligentes, seu Episcopi, seu Judices, seu Fisci Procuratores, in proximo Provinciali Concilio rationem reddent. In reliquis Tridentini Concilii decreta serventur omnino: Pontificiaeque Bullae, de bonis male alienatis, deque decimis debitae solvendis, Tridentinique Concilii decreta cap. 11. sess. 22. & cap. 12. sess. 25. de suggestu populo sapissime denunciantur; ut aliquando moniti respiciant, seque a censuris vindicent, tum bona ad Ecclesiam ejusque loca spectantia restituendo, tum debitas quoque decimas solvendo. Caveant autem omnes Beneficiarii, ne illis, qui jus habent patronatus, praesentationis, vel nominationis, locent Ecclesiae bona; nec illis, qui iisdem beneficiis cesserunt, eorumque in primo, vel in secundo gradu propinquis; neve illos ad fructus, vel pensiones exigendas, absque Episcopi licentia, procuratores constituant. Praeterea animadvertant omnes Praelati, seu ecclesiastica aliqua dignitate praediti, ne cum sibi facultas ab Apostolica Sede permittitur hujusmodi alienationes, si in evidentem utilitatem cedant, exequendi, negligenter eo fungantur munere, vicariam in ea re scribarum operam substituentes: verum per se ipsi scrutentur omnia diligenter, & inquirent, in rem (si res possulet) praesentem venientes; ne ipsi quoque dilapidatorum ad Ecclesiam, piae loca spectantium bonorum culpam sustineant. Bonorum ecclesiasticorum alienatio ea lege (ut debet) facta, ne valeat, nisi superioris auctoritas intercesserit, adjecta clausula, ut alioquin irrita censeatur, factaque, ante interpositam hujusmodi auctoritatem traditio, irrita sit; nisi in alienatione reservetur beneficium Sedis Apostolicae, & servatis servandis: ac tum is, qui possidet, amittat possessionem: qui vero aliter alienat, ex

Canonum sanctione puniatur: neque enim est dubitandum, quin poenis in Ecclesia bona, sine Superiorum consensu, alienantes constitutis sit obnoxius. Quae vero etiam in longum tempus locari bona consueverit, quocumque jure ad Ecclesiam redierint, etiam si in Ecclesia bonorum corpus nondum sint redacta, in reliquum tempus ne locentur amplius, nisi id cedat in Ecclesiae utilitatem, vel aliqua urgeat necessitas. Scribae, qui posthac conscribent testamenta, codicillos, aliasve obligationes, seu syngraphas, quibus aliquid Ecclesiae, piisve operibus relictum, donatum, concessumve sit, vel quovis jure, aut causa ad eam, vel ad ea spectare declaratum; intra tres menses, ex quo de morte legantis, donantis, & concedentis cognoverint, Episcopum Ecclesiae, piive loci Praefectum, cujus id interest, faciant certiorum; atque obligationum illarum exemplum, accepto operae suae pretio, deferant. Idem faciant in hujusmodi aliis syngraphis, vel a se alias confectis, vel ab alio scriba, cujus tabulae, seu protocolla quovis modo ad ipsos devenerint; idque intra alios tres menses, ex quo, vel ipsi in memoriam redierint, vel alia ratione compererint, earum rerum aliquid in tabulis, seu protocollis, quae penes ipsos sunt, contineri, sub excommunicationis poena. Huicque decreto, & poena subiicit praesens Synodus alios omnes, tametsi scribae non essent, qui penes se scripta hujusmodi, & instrumenta detinent, nec ea proferunt, etiam si contra ipsos facerent: quandoquidem syngraphas omnes ad piarum causarum utilitatem spectantes, contra se etiam facientes, proferre quisque de jure tenetur. Eidem poena subiecti sunt, qui ab aliis hujusmodi supprimi scientes clam habent. Ac ne spectantium ad Ecclesias, Oratoria, Sacella, & alia quovis nomine appellata pia loca bonorum tam facilis sit in reliquum tempus occupatio, quam fuit adhuc; mandat praesens Synodus, ut ii, ad quos ejusmodi Ecclesiarum, & locorum sigillatim cura pertinet, illorum bona omnia, sive emphyteutica, sive livellaria, sive alio quovis jure mancipata, redigant in tabulas publicas, facta cujusque loci nominatim (si opus fuerit) mentione, & terminorum fines dirimentium: qui si nulli erunt, interponantur; tum possessoribus, tum etiam vicinis, si absint, vocatis. Iidem in unum volumen referant eorum omnium nomina, qui Ecclesiae, piisve locis, & operibus perpetuo sunt obligati; facta, & praediorum, & oneris praedio cuique impositi mentione: cujus quidem voluminis exemplum unum ad Episcopale archivium, alterum ad eum, cujus cura ejusmodi, vel Ecclesia, vel pius locus sit commissus, deferatur. Hoc autem prius saltem confici optat praesens Concilium, quam novi Concilii tempus adventet, quod ad tres annos erit convocandum. At ii, quibus aliquid Ecclesiae, bonorumve ejus, aut pii operis penditur no mine, cum ali-

quid

quid exigent, scribam adhibeant, diserte facta in accepti, & expensi tabulis mentione, quo illa sit pecunia nomine soluta, harumque tabularum rite confectarum, & consignatarum exemplum deferant ad Episcopum, vel curent perferendum. Quia satis compertum est, inter ceteras causas, quibus factum est, ut hujus provinciae beneficia, tam curata, quam simplicia, ad tantam redacta sint paupertatem, ut paucissima sint, quae rectorem alere possint, hanc vel praecipuam fuisse, quod rectores ipsi emphyteutis, & aliis conductoribus recusantibus pensionem, seu canonem illis debitum solvere, ad id agendum eos compellere non curarunt, nolentes longas lites suscipere, & magnos sumptus facere, ut postea exiguas pensiones consequantur. Et quia clare patet, ob eandem causam quotidie aliquos, ex his, qui minimi, & paucissimi Ecclesiis supersunt, reditus amitti; praesens Provinciale Concilium volens huic incommodo occurrere, decernit, & constituit, ut ejusmodi pensionum, canonum, & reddituum ecclesiasticorum causae iudicibus videantur, absque ullo iudicii strepitu, sola facti veritate inspecta, etiam sine actorum scriptura, si ita iudicibus videbitur expedire; praesertim si reditus, de quibus agatur, quinque aureorum summam non excedent: & ita terminentur, ac iudicentur: qui iudices debeant, sine aliqua mora, omnibus juris, & facti remediis sententiam ita, ut praesertur, latam exequi; quam nullo modo possit quaecumque interposita, & admissa appellatio retardare; adeo, ut, quamvis simpliciter fuerit admissa, intelligatur tamen tacite illi inesse conditio, ut admissio non differat executionem. Item etiam, & aliis urgentibus rationibus motum idem Concilium statuit, ut causae devolutionum rerum emphyteutarum, & alio quovis modo conductorum; quomodocumque proponantur devolute, & ad Ecclesias, & beneficia, vel Monasteria, & alia loca ecclesiastica, sive aliter pia reversa, summarie cognoscantur, & decendant: & iudices teneantur omnino sententiam exequi, quacumque appellatione interposita non obstante: quae licet fuerit admissa, executionem non suspendat, nec differat missionem in possessionem ejusdem sententiae dispositione faciendam: & semper intelligatur ea conditio admissa fuisse, ut iudex, qui tulit sententiam, possit, & debeat Ecclesiam, sive pium locum, sive beneficiorum Rectores, & Monasteria, quae sententiam pro se reportaverint, in possessionem inducere, & in omnibus executionem, ac licentiam concedere, juxta ejusdem sententiae dispositionem. Et supradicta omnia, & singula locum habeant, non solum cum clerici, & piorum locorum procuratores agunt, sed etiam cum conveniuntur.

Disus Abas has leges Synodales petiit consignari.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus exponens praemissa omnia pro illorum firmiori subsistentia,

& validitate apostolica nostrae confirmationis robore communiti summopere consideret.

§.3. Nos dictum exponentem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio celebrationem dictae Synodi, ac in ea edita declarationes, & decreta, ut praesertur, apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, apostolica firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intevererint, supplemus.

§.4. Decernentes illa omnia, necnon praesentes Literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum, inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, ac definiti debere, ac irritum, & inane, quidquid super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, quibusvis personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Septembris 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Confirmat Urbanus.

Clausulas irritantes apponit.

Contraria tollit.

Dat. die 17. Septem. 1637. An. XV.

Quod

DXLVII.

Quod in Provincia Granatensi Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nullus Frater, aut consanguineus in primo, & secundo gradu Ministri actualis pro tempore, possit succedere immediate ad Provincialatum d. Provinciae &c.

Vide, quae de his Fratribus indicavi tibi ad Constit. XCV. Pastoralis officii. Gregorii XV. Tom. V. Par. V. fol. 90. & ad Constit. CCCXXVIII. Sacrosanctum. hujus Pontificis. Tom. VI. Par. I. fol. 194.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

Cum, sicut dilecti Filii Fratres Ordinis Min. S. Francisci de Observantia nuncupati Provinciae Granatensis Nobis nuper exponi fecerunt, quod alii contigerit, ut Ministri Provinciales animadvertentes, sese ad idem Provincialatus officium in vim literarum apostolicarum religii minime posse, dederint operam, ut eorum frater, aut nepos ad officium hujusmodi eligeretur, & sic multorum annorum spatio dictum officium inter ipsos hereditarium, per continuatam sibi sanguine conjunctorum in officio hujusmodi successionem effectum fuerit; proptereaque dicti exponentes cupientes opportunum aliquod in praemissis remedium adhiberi, ac aliis ne dictae Provinciae Fratres hujusmodi graves, & benemeriti ab officiis excludantur, illaque juvenibus inexpertis in maximum dedecus, & boni regiminis d. Religionis detrimentum conferantur, desuper provideri.

§.1. Nos praedictos exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus illorum nomine Nobis super similiter porrectis inclinati; Volumus, & apostolica auctoritate tenore praesentium statuimus, & ordinamus;

§.2. Quod de cetero nullus Frater, aut consanguineus, in primo, & secundo gradu Ministri Provincialis d. Provinciae Provincialatus officium hujusmodi dimittentis immediate post ipsum in Ministrum Provinciale dictae Provinciae eligi quoquo modo possit, & valeat: Mandantes propterea omnibus, & singulis dictae Provinciae, & Ordinis hujusmodi Superioribus, Fratribus, & personis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet insuturum spectabit, ne quicquam contra nostram praesentium literarum continentiam, & tenorem facere, vel attentare audeant, seu praesumant, ac decernentes Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

Observati mandati prout in Rubrica.

praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, irritumque, & inane, si quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciae hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissio, ac forma in illis tradita observata exprimeretur, & infereretur, praesentibus pro expressis, & insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 1. Octobris 1637. Pontificatus Nostri XV.

Contrariis derogat.

Dat. die 1. Octobr. 1637. An. XV.

DXLVIII.

Prohibitio extrahendi libros e Bibliothecis, & Paramenta ab Ecclesiis Conventuum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum Provinciae Granatensis.

Plures Summi Pontifices prohibuerunt extrahendum librorum e Bibliothecis Regularium.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Conservationi, & manutentioni Bibliothecarum singularum Domorum, necnon paramentorum, & ornamentorum illarum Ecclesiarum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum Provinciae Granatensis, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsarumque Domorum Guardianos, & Fratres specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes

Motiva;

P

tes